

*recht de crapplet. Gotescalch Zul-
le. Reinbal de nuenbalen. Ruodolf
de tiuensperch. Perenbar Plasar.
Vriderich de alsdorf. Hartewich
de mulpach. Gotescalch de arben-
dorf. Hartelieb de osterwiz et fra-
ter Perenbart. Gotefrid de timen-
sperch. Dietemar de osterwiz. Lu-
nich de otmagnab et filius suus Pe-
ro et rapot. Werenber de tulsnich.
Hadolt de Zemrasdorf. Reinbolt
de wolwiz. Wezel de parenz.
Warmuot de cherein. Eppo deu-
tonicus. Adelgoz de sorich. Wo-
delrich de bodebov. Ruodeger de
nuzperch. Time ministerialis de
salzpurch. Wodalrich de lungov.
Adalger de sorich. Cbuonrat de so-
rich. Reinprebt de bache. Eppo
cliens domini biltebrandi de pols.
Dum Hemma Wilhelmi Land-
gravii Vidua an. 1042. Parthe-
nonem Gurcensem in Carintbia
conderet, Virginibus ad sacra
ministeria additi sunt Clerici vi-
ginti; atque hos in praemissa
Traditione intelligi putem. Suc-
cessu temporis deletis Moniali-
bus, dum an. 1071. Episcopatus
fundaretur, ex his Clericis facti
Canonici. Vide *Hanszii Germ.
Sacr.* T. II. p. 175. Traditio ita-
que inter annos 1042 — 1071.
facta videtur. Extat etiamnum du-
plex quidem *S. Aegidii Fanum*
in vicinia *Gurcensi*, quemadmo-
dum et plura e Locis supra nomi-
natis hodie visuntur.*

DCCCVII.

511 Codex membraneus lat. Sec.
XI. Folior. 203. 4. eleganter

scriptus, minio decorus, et fo-
liis illis, quae Capitum Indices
exhibent, picturatis continet: I.
Iudicium aquae frigidae his prae-
missis: *Cum uis hominem in aquam
mittere. ad conprobationem ista de-
bes facere. Accipe illos homines.
quos in uoluntate habes mittere in
aquam. et duc eos in ecclesiam. et
coram omnibus cantet presbiter mis-
sam. Cum autem ad communicatio-
nem uenerint. antequam communi-
cent interroget eos sacerdos et (ac)
curatione ista dicat. Edidit Ordinem
ejusmodi Bern. Pezsius T. II.
Anecd. P. 2. p. 643. e Ms. *Wes-
sfont.* Missam uero e Cod. *Rhe-
naug.* produxit etiam Cels. *Ger-
bertus* P. II. *Vet. Liturg. Alem.*
p. 555. Cum utroque igitur *Codi-
cem* nostrum comparabo. Adjura-
tionem primam cum rubricis et
Communione habet *Pezsius*, *Mis-
sam* uero non repetit, quia illa
jam in *Ordine ad Caldarium et
Ferrum* praecessit. Nobis ea in-
scripta est: *Hec est celebratio
missae ad iudicium seu aquae siue
ferri*, et consentit cum *Cod. Pe-
ziano* et *Gerbert.* Orationem ta-
men secundam *ad Complend.* quae
infit: *Ostende nobis misericordiam
tuam &c. Pezianus* ignorat. *Mis-
sam* excipit *Benedictio Aquae*, ad
quam de *Psalms*, quos praescri-
bit *Pezianus*, tacetur; contra
uero in *Litaniis* *Noster* jubet ad-
di ter: *Pro huius negotii qualita-
te te rogamus, audi nos. Ut iusti-
ciae non dominetur iniquitas. sed
subdatur falsitas ueritati. te rog-
audi nos. Exorcismus Aquae* utro-
bique idem. *Hum* tamen in *Nostro
Ora-**

Orationes sequuntur, quae in *Pez.* praecedunt. Hic numerat *Orationes VII.* Noster non nisi *IV.* et tamen harum prima: *Deus qui maxima quaeque sacramenta &c.* inter *Pezianas* non est. Post *Orationes* in Nostro legitur haec Rubrica: *Post coniurationem autem et benedictionem aquae. exuat illos uestimentis eorum. et faciat illos per singulos osculari sanctum euangelium et crucem christi. et post hec de ipsa aqua benedicta aspergat super unum quemque (et) coniurat eum bis uerbis. Adiuro te &c.* Formulam habet *Pez.* sed non rubricam, neque *Versus*, quos Noster post *Aquae benedictionem* dici iubet: *Exurgat deus et dissipentur &c.* neque sequentem Rubricam ult. *Tunc statim proiciet eos in aquam. Hec omnia debent ieiunare facere. neque illi (Ministri?) antea comedent. quam ipsos mittunt in aquam.* His adiectum est initium *Ordinis ad Caldarium et Ferrum* ut apud *Pezium col. 635.* sed *Librarium* spatium destituit. Itaque quemadmodum jam a *fol. 2.* ad *fol. 84.* saltaverat, inde rursus *fol. 133.* vacuum nactus membranam reliquam eo transtulit, quod incipit: *Interdico tam tibi quam omnibus o homo &c.* ubi *Pezianus Codex Missam* inserit, ibi noster ad *Missam in Ordine Aquae frigidae* jam positam provocat. Sequitur *Benedictio ignis, aquae et ferri*, ubi praeter *Litanias Oraciones* seu *Benedictiones* tantum quinque, quarum ultima trajecta ad *fol. 154. p. 2.* habentur, adeoque pauciores quam in *Peziano.*

Denis Codd. Theol. V. I. P. III.

Orationem interea, quae incipit: *Omnipotens Deus te suppliciter rogamus &c.* ille *Ordini Aquae Frigidae* inseruit. Ejusmodi porro leviores differentias observare est in similibus Ritibus *Purgationum* five *Iudiciorum Dei* apud *Goldastum*, *Baluzium*, *Martenium*, *Ducangium*, *Mabillonum*, *Muratorium*, alios.

II. *fol. 6.* Incipit *Liber Enchiridion Sancti Augustini Porinien- sis* (sic) *Episcopi Ad Laurentium Primicerium Urbis Romae.* Praeit *Elenchus Capp. LIII.* sub picturatis, ut jam supra innui, *Porticibus.* Textus cum edit. *Maur. T. VI. Opp. Aug. col. 194.* collatus sat castigatus est, idque debet *Viro docto et solerti*, in cuius *Acta et Scripta operae pretium foret*, diligentius inquirere, quam haecenus factum novi, cuiusque ne *Patriam* quidem in *Lexico Jöcherus* prodidit. Ita ille ad *Cod. calcem: Menradus Moltberus Augustanus Sacrarum literarum Professor, liberalium Artium magister VIII. Non. Feb. Anno Sal. MDXXXI. Spire Collatum cum aliis ejusdem uetustatis exemplarib. restituit.* Non semper tamen optima in emendando fortuna usum esse *Moltberum*, ille *C. 5. nobis fol. 7. p. 2. locus: inchoari fide, perfici specie*, ostendit, ubi *ro specie*, quod *Codex* habebat, in *spe* mutavit, cum *Augustinus*, licet in *Enchiridio de Fide, Spe et Caritate* illi esset tractatio, hoc tamen loco manifeste ad illud *Apostoli II. Cor. V. 7. Per fidem ambulamus et non per spe-*

D d

spe-

speciem, alludit, per *speciem* intelligendo visionem Dei, uti ex paulo antecedentibus patet. Illud praeterea notari meretur, ad varia Pauli loca, quibus Augustinus utitur, et praecipue ad ea, quibus de originali Labe sermo est, adjectas esse in margine et inter lineas manu Codici coeva Animadversiones, quas ad quem referam, nescio.

III. fol. 81. p. 2. *Item Sancti augustini de VII. virtutibus.* Initium: *Magnifice igitur et salubriter spiritus sanctus ita scripturas sacras modificavit &c.* Frustra in Augustino quaeras Opusculum de VII. Virtutibus. Adi potius Librum ejus II. de Doctrina Christi. et inuenies praesentem Laciniam edit. Maur. T. III. P. 1. col. 22. usque ad verba: *Initium enim sapientiae timor Domini. Ab illo enim usque ad ipsam per hos gradus tenditur et uenitur.* Ubi Noster legit: *Ab illo enim usque ad ipsum (Deum) per hos gradus tenditur et inuenitur uita et gloria sempiterna.*

IV. fol. 87. p. 2. *In Hoc Corpore Continentur Soliloquiorum Sancti Augustini Libri Duo.* Incipiunt: *Volventi mihi multa. ac varia mecum diu &c.* Lectio admodum sincera, ut edit. Maur. T. I. col. 355. Ubi mox a principio Editi legunt: *ut me agam dignum quem exaudias, postremo ut liberer,* Codex habet: *Ut me agam dignum quem liberer, postremo ut liberer.* Acutius, atque ideo fortassis Autoris:

V. fol. 135. *Flacci Alcuini Opus de S. Trinitate. Epistola nuncupatoria: In Nomine Sanctae Trinitatis Domino glorioso Karolo imperatori augustissimo atque cristianissimo humilis leuita alcbuinus in domino deo presentis prosperitatis et perpetuae beatitudinis salutem. Dum dignitas imperialis a Deo ordinata &c.* Ad calcem: *Explicit Prologus,* et Hexastichon illud: *O rex augusto clarissime &c.* lineis nigris rubrisque alternantibus, quod et in sequenti Capitulo L. I. Elencho Porticibus picturatis inscripto observatum est. Variat tamen Capitulum numerus ab Exemplo edito in Opp. Alcuini Ratisb. 1777. T. I. P. 3. p. 703. Opus ipsum praenotatur: *In hoc codice continentur de fide sanctae trinitatis. et de incarnatione christi libri III.* et inchoat: *Quamvis enim in hujus Exilii erumnosam cecitatem &c.* Libri sequentes eodem modo Elenchos suos praefixos habent; ipse vero splendidi Exempli Textus cum Impressis praeclare congruit.

VI. fol. 202. *Sermo Beati Augustini De Resurrectione Corporum.* Initium: *Delectet nos dilectissimi una uobiscum de resurrectione carnis habere sermonem. quia forte sunt aliqui in ecclesia. qui mirantur. qualiter caro reuiuiscere possit ex puluere. Quare non mirentur. quomodo potuit deus omnia que sunt. ex nihilo facere? Minus est enim id reparare quod erat. quam ex nihilo facere, quod non erat. Ipsa ergo mundi elementa ima-*

2925

LITURGICI

2926

imaginem nobis predicant resurrectionis. Sol cotidie nostris oculis oritur. cotidie resurgit. Stellę matutinis horis occidunt. uespere resurgunt. Arbusta estiuus temporibus plena foliis. floribus. fructibus. quę uidemus. quę hiemis tempore. nuda foliis. floribus ac fructibus. quasi arida remanent. Sed uerno redeunte. cum a radice humor surrexit. suo iterum decore uestiuntur. Cur ergo de hominibus diffiditur. quod fieri in ligno uidetur. Plura dedi, ut Eruditi de hoc Sermone viderent, quem neque apud Augustinum, nec apud alios, quos inspexi, reperi. Argumentatur ille deinceps a reparatione Arboris per Semen, a formatione ipsius hominis, quem in matris utero sanguinis spumam vocat &c. et perorat: Mundemus nos cotidie ab omni inquinamento carnis et spiritus. ut ad illam incorruptibilem resurrectionis gloriam pertinere mereamur. In Christo ihesu domino nostro. qui uiuit et regnat cum patre et spiritu sancto deus per omnia secula seculorum. Amen.

DCCCVIII.

409 Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. nunc 113. 4. luculento charactere exaratus, rubricisque decoratus est Sacramentarium Gregorianum. Praeit Calendarium duabus columnis, quod tamen aevo, fituque mutilatum a medio nunc Julio superest. In mensibus residuis dies plurimi Sanctorum Nominibus vacant. Diem III. Non. Nov. Pirminius abbas,

XV. Kal. Dec. Augustinus episcopus tenet. Sequitur char. quadr. Titulus: *Incipit Liber Sacramentorum Dei Per Circulum Anni Feliciter.* Hunc excipit *Confessio Sacerdotis*, cuius initium: *Ante conspectum diuine maiestatis tuae reus adsisto. qui inuocare nomen tuum sanctum presumo &c.* et deinceps *Missa*, ut in edit. *Muratorii T. II. Venet. 1748. col. 7.* incipiendo *In Vigilia Natalis Domini* usque ad *Dom. IV.* cui tamen non additur in inscriptione, *Adventus.* Notabo quasdam differentias. Tres *Missa* in *Nax. Dom.* inscribuntur: *In Primo Gallicinio. Primo Mane. In Die.* In *Missa* secunda *Oratio Ad Sanctam Anastasiam* postponitur *Orationi* de Natali. Post diem *Jobannis Evang.* plura folia e *Cod.* exciderunt usque ad *Festum S. Agathae.* Post hoc statim inferuntur *Missa Dom. V. VI. et VII. post Theophaniam*, quae apud *Murat.* sunt *col. 160. IV. V. et VI. Kathedra S. Petri et ad Sanctum Benedictum* desunt in *Murat.* In *Anuntiatione S. Marię* deest nobis *Oratio: Deus qui hodierna die &c. Feria IV. post Quinquag. deest Muratorio Praefatio, item Missa Sabbati.* Nobis vero post hanc unum rursus folium deperiit. In *Sabbato XII. Lectionum* nobis desunt *Orationes: Deus qui nos in tantis &c. et: Quaesumus omnipotens Deus &c. Muratorio vero Super populum Oratio: Fideles tuos domine &c. Missa nostra Fer. V. post Dom. III. Quadr. alia est a Muratoriana usque ad Orat. super*

D d 2